



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CLII. Der Knappe Gerhard von Kerkow verkauft der Gewandschneider -
Gilde in Salzwedel einen Hof in Schernikow, am 30. Dezember 1353.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

fulum maturo prehabito confilio et deliberatione, secundum literarum utriusque ciuitatis continentiam finaliter decernendo statuimus et ab utriusque ciuitatis predictae tam presentibus, quam futuris inhabitatoribus uniuersis inuolabiliter obseruari, Sic precipimus et mandamus, quod ipsa uidelicet ciuitas noua Soltwedel in Incidendo Pannos, super quo inter ipsas ciuitates hactenus altercatio, ut premititur, uertebatur, omni commodo iure, priuilegio, consuetudine et honore omnibus modis et conditionibus, nil addendo uel diminuendo, frui et gaudere de cetero debeat, quibus et ipsa ciuitas antiqua Soltwedel in premisis fruitur et utitur quouis modo. Vt igitur omnia et singula prenotata in suo robore conseruentur et inconuulsa, nostro ac heredum nostrorum nomine firmiter mandamus et presentes dari fecimus sigilli nostri appensione et munimine firmiter communitas, presentibus nobili uiro Ottone Went, domino in Heburgh strenuisque uiris Petro de Trutenbergh, nostro marschalco, Iohanne Pincerna de Vlechtingen, militibus, nec non honorabili uiro Ludolfo preposito in Soltwedel, Wernero et Henrico de Schulenborch, Gunthero et Guntzelino de Bertensleue, et Nycolao Bismargk, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Stendal, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, feria sexta ante festum Pentecostes.

Nach dem Originale des Salziv. Archives XIV, 20.

CLII. Der Knappe Gerhard von Kerkow verkauft der Gewandschneider-Gilde in Salzwedel einen Hof in Schernikow, am 30. Dezember 1353.

Ego Gherardus, dictus de kerkow, famulus, presentibus recognosco protestans lucide uniuersis, quod prehabita matura deliberatione vendidi et dimisi nec non vendo et dimitto per presentes discretis uiris hinrico mechow et Johanni wicken, magistris gylde pannicidarum antique ciuitatis soltwedel, ad manus et vsus eiusdem gilde vnam curiam sitam in villa Schernekow, in qua nunc resident henningus hynrekes et Ebelingus hynrekes fratres, cum uniuersis et singulis suis prouentibus et attinenciis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, nemoribus, aquis et aquarum decursibus, nec non cum omni iure supremo et infimo infra sepes, sine quauis impetitione pacifice libere et quiete temporibus perpetuis possidendam, quemadmodum ipsam usque in hodiernum diem habui et possedi. In cuius rei firmiter testimonium meum sigillum presentibus est appensum. Datum Anno M^o. CCC^o. LIII^o., feria secunda ante festum dominice circumcissionis.

Nach dem Original im Stadtarchiv zu Salzwedel, Fach 14, No. 18.